



# **Institutiones Theologicae Ad Usum Seminariorum**

**Simonnet, Edmond**

**Venetiis, 1731**

Art. 1. Exponitur doctrina Jansenii circa gratiam efficacem.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83614](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83614)

finem, fuit in potestate bonorum Angelorum: unde cum re ipsa finaliter steterint, steterunt per liberum arbitrium, hoc est, steterunt, quia voluerunt stare. Similiter in potestate Adami fuit, usque in finem perseverare vel non perseverare in statu innocentiae, hoc est, perseverare vel non perseverare in statu innocentiae, donec ad coelestem beatitudinem seu intuitivam Dei visionem assumeretur: unde si re ipsa steterit usque in finem, per liberum arbitrium, seu quia voluisset steterit, adeoque meritorie steterit.

In electis est contra, juxta S. Doctorem, perseverantia finalis non est meritoria, quia non est in illis libera. Ratio est, quia perseverare vel non perseverare usque in finem in statu iustitiae non est in eorum potestate: perseverant enim usque in finem in statu iustitiae, quia moriuntur eo tempore, quo iusti inveniuntur. At mori vel non mori eo tempore, quo iusti inveniuntur, vel, si vis, mori eo tempore quo iusti inveniuntur, potius quam alio quo inveniuntur iniusti, non est in eorum potestate, sed in potestate solius Dei, cuius est unicuique hominum vitae terminum praescribere: unde moriuntur eo tempore quo inveniuntur iusti, non quia ipsi volunt & eligunt eo tempore mori, sed quia Deus misericorditer vult illis procurare, & illis procurare, ut moriantur eo tempore; atque ita finaliter perseverant, non quia volunt, sed quia Deus vult, & donat illis finalem perseverantiam: non igitur per liberum arbitrium, adeoque nec meritorie perseverant finaliter. Per peccatum igitur primi parentis perdidit bonum meritum perseverantiae finalis, quia per peccatum primi parentis perdidit potestatem finaliter perseverandi vel non perseverandi pro arbitrio. Hinc quod in Angelis bonis merces fuit etiam relatè ad finalem perseverantiam, nempe gloria coelestis, relatè quoque ad perseverantiam finalem est purum gratiae donum in electis. Ratio disparitatis est, quia in Angelis bonis perseverantia finalis fuit meritum. Merito autem correspondet merces; & quod merito retribuitur, retribuitur ut merces. At in electis perseverantia finalis est purum gratiae donum. Dono autem gratiae quod redditur, non potest esse, nisi gratiae donum.



## DISPUTATIO III.

De gratia efficaci.

## ARTICULUS I.

Exponitur doctrina Janfenii circa Gratiam efficacem.

1. **A** Pud Janfenium gratia medicinalis & efficax inter se convertuntur: ita ut omnis gratia medicinalis sit gratia efficax, & omnis gratia efficax sit gratia medicinalis. Patet ex libro 2. de gratia Christi Salv. cap. 4. ubi asserit Janfenius gratiae medicinalis adiutorium tale esse, ut faciat annuere, & influere, & velle voluntatem: hoc ipso quo datur, simul usum ejus & influxum potestatis dari; quia est hoc ipsum quod suapte efficacia facit influere facultatem, nec facultatis ipsius libero arbitratui subjacet, sed invictè facit ut hoc vel istud arbitrium arbitretur & velit: ipsum bene velle fastidienti egrotique voluntati tribuere: invictissime facere ut velit voluntas, & à voluntate non deferatur.

2. Janfenius gratiam medicinalem adequatè constituit in coelesti suavitate, seu delectatione, qua bonum voluntati suaviter placet. Patet ex libro 4. de gratia Christi, cap. 1. ubi ait, ex omnibus S. Augustini operibus perspicuè videri, gratiam istam Christi Salvatoris medicinalem, quam efficacem Schola vocat, non aliud esse, quam coelestem quandam atque ineffabilem suavitatem; seu spiritalem delectationem, qua voluntas prevenitur & flectitur ad volendum faciendumque quicquid eam Deus velle & facere constituerit. Unde juxta Janfenium, praeter hanc

suavitatem, seu delectationem, non est alia vera Christi gratia.

3. Coelestem hanc delectationem, in qua sola gratiam medicinalem consistere vult Janfenius, in actibus vitalibus & indeliberatis complacentiae & desiderii constituit. Patet ex eodem libro, cap. 11. ubi sic loquitur: *Dicimus igitur delectationem istam seu suavitatem, in Augustino celebrem, esse partim primum illum & indeliberatum affectum animae, qui aeternalis complacentia est, partim etiam & crebro secundum, qui desiderium indeliberatum dicitur, quibus anima ita suaviter ac delectabiliter in bonum appetendum rapitur, ut voluntas ei actu libero consentiat, ac bonum diligat, tanto vehementius, quanto fortius illis actibus rapitur.*

4. Docet Janfenius voluntatem non posse amplius quidquam velle sine praevia delectatione. Patet ex eodem lib. cap. 7. ubi ait: *Voluntas sine delectatione velle aut moveri .... nullo pacto potest, quod sane respectu cuiuslibet operationis locum habet.* Superius dixerat: *Ex quo consequenter fit, ut si illa desit (delectatio coelestis,) voluntas veluti torpens ac mortua, nihil omnino boni amplecti possit: quemadmodum etiam è contrario nihil in carnalibus diligendo prosequi potest, nisi quod eam ante delectaverit.*

5. Docet insuper, voluntatem bonum velle non posse, nisi delectatio coelestis major & intensior sit terrena delectatione; nec vicissim posse velle malum, nisi delectatio terrena major sit & intensior coelesti delectatione. Patet ex eodem lib. c. 6. *Ex his, inquit, jam perspicuè intelligitur, tanctoperè esse necessariam istam delectationis divinae gratiam, quando cum terrenarum rerum temptationibus ac delectationibus dimicamus, ut nisi major fuerit, quam terrena, qua noster affectus detinetur, fieri non possit, quin propriae voluntatis infirmitate vincamur.* Major enim delectatio nunquam sanè delectatione minore superabitur, sed eam sequetur animus, qua magis eum afficiendo suavitate detinuerit.

6. Docet Janfenius, voluntatem sive bonum sive malum, quod amplius eam delectat, necessario velle, adeoque ad malum ab intensiore delectatione terrena, & ad bonum ab intensiore delectatione coelesti determinari & necessitari. Patet ex eodem lib. cap. 9. *Ille conflictus delectationum, inquit, qui sopiri non potest, nisi altera alteram delectando superaverit, & eo tantum animae pondus vergat. Quod enim amplius delectat, secundum id operemur necesse est.* Vigente enim (hoc est, praedominante) delectatione carnali, impossibile est, ut virtutis ac honestatis consideratio praevaleat. Juxta Janfenium, praedominante terrena delectatione, voluntatem velle bonum impossibile est. Quare? Certè quia juxta eundem, voluntas per praedominantem terrenam delectationem antecederet & irresistibiliter determinatur, adeoque necessitatur ad volendum malum, juxta illud Augustini, interprete Janfenio: *Quod amplius nos delectat indeliberatè, secundum id velimus & operemur necesse est.* Superius c. 7. dixerat Janfenius: *Delectationem omnis operationis secuturè mensuram statuit (Augustinus) succinctissime, clarissime, absolutissimeque pronuncians: Quod amplius nos delectat, secundum id operemur necesse est: nimirum quia id quod amplius nos delectat, etiam amplius velimus ac diligamus necesse est: tamò enim quidque vehementius volumus, quanto delectamur ardentius: quod autem magis volumus ac diligimus, secundum id operemur necesse est.* Unde quemadmodum hic dicit necesse esse, ut secundum id operemur, quod amplius nos delectat; ita paucis interjectis, in eodem loco adjicit necesse esse, ut id operemur atque sectemur, quod amplius dilexerimus, quia videlicet naturali ordine, ex delectatione dilectio, ex dilectione operatio consequitur.

7. Docet Janfenius voluntatem, quamvis ad malum à praevalente terrena delectatione, & ad bonum à praevalente delectatione coelesti necessiteretur, esse nihilominus liberam libertate arbitrii; imò cir-

ea malum à delectatione terrena, & circa bonum à cœlesti delectatione fieri liberam arbitrii libertate. Patet ex lib. 7. de gratia Christi, cap. 3. *Delectatio*, inquit, non solum arbitrium liberum ad actus malos facit ... quos sine delectatione velle non potest, sed etiam ad actus bonos. Ratio autem ejus est, quia illud nobis liberum est libertate arbitrii, quod est in nostra potestate, & illud est in nostra potestate, quod fit cum volumus, tamen si necessarium velimus. Unde necesse est illud nobis esse causam libertatis arbitrii, quod nobis est causa volendi etiam necessarii: Cum vera causa, cur arbitrium ad appetendum aliquid moveatur, sit delectatio, qua intrinsecus, in ipsa voluntate mulcetur; hinc est, quod consequenter Augustinus tradit tam in appetendo, quam in omitendo peccato voluntatem delectatione liberam fieri. Cum enim hoc sit liberum Augustino, quod est in potestate, seu quod fit cum volumus, necesse est illud ipsum, quod arbitrio volendi nolendique causa fuerit, etiam causam esse libertatis. Et inferius: Si delectatio boni velle facit, delectatio quoque ponit actum in potestate voluntatis; hoc enim est in nostra potestate, quod fit cum volumus, & hoc ipso etiam liberum facit.

Ex his, quod non est prætermittendum, colligit Jansenius solam coactionem seu necessitatem violentam, minimè verò voluntariam & spontaneam necessitatem repugnare libertati arbitrii: *Quæ si vera sunt, sicut juxta sanctissimi Doctoris principium verissima sunt, non poterit amplius de ejus mente dubitari, quia eum sentire & constanter docere diximus, libertati arbitrii solam necessitatem coactionis, seu quæ etsi volumus, efficit id quod potest, esse contrariam, omnemque actum voluntarium seu spontaneum hoc ipso esse liberum (libertate scilicet arbitrii.) Hoc enim ipsum, quod voluntatem sponte velle seu consentire facit, hoc eam, ut vidimus, etiam liberam facit (libertate arbitrii.)* Ecce Jansenius solam coactionem seu violentiam libertati arbitrii repugnare, concludit ex eo quod delectatio major voluntatem necessitat, & tamen liberam facit libertate arbitrii, quia necessitando facit sponte velle. Unde sequitur ad libertatem arbitrii non aliud requiri, quam voluntarietatem seu spontaneitatem actus volendi.

8. Juxta Jansenium igitur, ut ex dictis hætenus liquet, gratia efficax est omnino cœlestis quædam delectatio, delectatione terrena intensior, siue indeliberatus quidam amoris vel desiderii spiritualis motus, indeliberatus amoris vel desiderii carnalis motus intensior, à Deo voluntati impressus, cum activa ad utrumlibet ex oppositis indifferencia impossibilis, voluntati ægrota & antecedenter ad malum per concupiscentiam, à qua in omnibus suis actionibus prævenitur, determinatè necessarius ad bene volendum & agendum, voluntatem determinans ac necessitans, & necessitando faciens sponte velle & agere bonum, adeoque faciens bonum velle & agere libere libertate arbitrii, cui sola coactio seu violentia repugnat.

Porrò hic describimus gratiam efficacem, quæ, juxta Jansenium, facit voluntatem velle, quantum oportet, ut re ipsa operetur bonum. Cœlestis autem delectatio, juxta illum, hunc effectum non habet, nisi cum intensior est delectatione terrena: unde cum est minus intensa, voluntatem in solis inefficacibus desideriis hære, nec velle quantum oportet ad operandum bonum, docet lib. 8. de gratia Christi, cap. 2. ubi sic loquitur: *Delectatio victrix* (qua nimirum vincitur terrene delectationis impetus) quæ Augustino est efficax adiutorium (quod facit voluntatem velle quantum oportet ut operetur bonum) relativa est: tunc enim est victrix, quando alteram superat (hoc est, quando altera, nempe terrena delectatione ardentior est.) Quod si contingat alteram ardentiorē esse, in solis inefficacibus desideriis hærebit animus, nec efficaciter unquam poterit quod volendum est. Hinc adhuc ad plenam doctrinam Jansenii in hac materia intelligentiam,

*Observa 1.* Juxta Jansenium, cœlestem delectationem terrena remissiorē, non esse gratiam efficacem in aliquo sensu, & simul esse in alio. Non est gratia efficax, per gratiam efficacem intelligendo eam, quæ facit voluntatem velle efficaciter, & quantum oportet ad bonum operandum. Est gratia efficax, per gratiam efficacem, intelligendo eam, quæ habet totum effectum, ad quem datur à Deo: nam, juxta Jansenium, quando cœlestis delectatio, terrena delectatione minor infunditur, tunc tantum datur à Deo, ut voluntas erumpat in quædam velleitates, & quædam inefficacia desideria, quod voluntas non potest, juxta eundem, non facere sub illa cœlesti delectatione minus intensa. Ex his,

*Observa 2.* In doctrina Jansenii omnem gratiam efficacem esse cœlestem aliquam delectationem, qua voluntas determinatur & necessitur ad aliquem actum volendi. Duplex est, una scilicet efficax simpliciter, & altera efficax secundum quid tantum; vel, si vis, una perfectè, & altera imperfectè tantum efficax. Perfectè efficax est ea, quæ voluntatem necessitat ad actum volendi perfectum & efficacem, adeoque eam necessitat ad velle actum salutarem, sicut oportet, ut illum re ipsa exerceat. Imperfectè tantum efficax est ea, quæ voluntatem tantum necessitat ad actum volendi imperfectum & inefficacem, adeoque non eam necessitat, nisi ad puram velleitatem actus salutaris, quem proinde nec exercet, nec exercere potest. Prima est cœlestis delectatio, terrena delectatione intensior; secunda verò cœlestis delectatio remissior delectatione terrena. Prima dicitur delectatio victrix, quia vincit terrenam delectationem, & ita vincit, ut faciat voluntatem operari bonum; quod non facit secunda. Prima dat posse bonum, non secunda; quia prima, non secunda, dat velle perfectum.

De prima sic loquitur Jansenius libro 8. de gratia Christi, cap. 20. *Delectatio* (quæ scilicet terrena major est,) suaviter voluntatem provocat, & provocando facit velle (perfectè) & ipsum velle (perfectum) dando, etiam posse largitur. Quod enim quisque vehementius vult, eo robustior est, siue in bonum siue in malum: quia in libero arbitrio posse non precedit, sed sequitur voluntatem. Et inferius: *Ista victrix delectatio, sicut hoc ipso quo datur, è captivitate consensum eruit, ita hoc ipso semper cum bona voluntate conjuncta est. Velle ergo dat posse, & fortiter velle, fortiter posse, quia quanto vehementior est voluntas (efficax,) eo robustior & insuperabilior est potestas.*

De secunda verò lib. 2. cap. 27. loquitur, cum ait: *Considerandum est multiplices esse divine gratie effectus, quemadmodum & voluntatis. Est enim velle perfectum, quod Augustinus posse vocat; est & imperfectum, quod velleitatem appellare solent; & hoc ipsum diversos gradus habet, donec ad ipsam primam tenuissimamque boni complacentiam veniatur. Hac ergo primus est cœlestis istius roris effectus, quem ut minimum in omnibus operatur, quibus eum infundit Deus ..... Hac igitur gratia quamvis nullo modo sufficiat, ut homo Dei mandatum operetur, ut Deum super omnia diligat, ut speret, ut oret, ut credat; ad hoc tamen facit aliquid, ut istarum vel alterius cujusdam cœlestis rei liberas quasdam non voluntates, sed velleitates vel complacentias excitet.*

Hinc juxta Jansenium, homines iusti non possunt implere mandata, quæ re ipsa non implent, quantumvis conentur ea implere; quia tunc delectatio cœlestis in eis minor est terrena delectatione: nam si major est, mandata non transgredierentur, quod est contra suppositionem: unde tunc non habent nisi velle imperfectum, seu velleitatem, quacum operari non possunt.